



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

VI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

ANNO
CHRISTI
1179.

quidem, quod si vterque interesse non posset, alter nihilo minus, adscitis sibi discretis & honestis hominibus, in negotii executione procederet. Accidit autem inopinato rerum euentu, sicut ex literis tuis & fratrum vestrorum, fili abbas, intelleximus, quod antequam partes in iudicio apparuissent, abbas vnius loci, * Lileshull scilicet, de presentia vita migravit, cui vir alter in breui prudens & religiosus succcessit. Deinde abbas Leicestræ, qui prius mandato nostro partibus diem adagendum præfixit: habitoque consilio virorum prudentium & iurisperitorum, abbatem * Lileshull de nouo substitutum, porrecto illi mandato nostro, quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum, commissio literarum a nobis emanauit, sibi socium adduxit: & sicut ex literis eorumdem accepimus, cum vtraque pars legitime citata sæpius in eorum presentia consisteret, auditis rationibus & allegationibus hinc inde, productis & testibus idoneis, & eisdem de non tacenda veritate iuratis, eaque diligenter inquisita, & cognita, cum de iure matricis ecclesiæ de Estun eis plenarie constaret, accepto multorum virorum legitimorum & approbatorum, tam laicorum quam clericorum testimonio, prædictam capellam de Herdeleia, ecclesiæ de Estun prudentium virorum consilio adiudicauerunt. Venerabilis etiam frater noster VVigorniensis episcopus, qui tunc presentens aderat, eorum sententiam executioni mandauit, & monachos tuos, fili abbas, qui ibi aderant, & te quoque, fili H. procuratorum negotii in præscripta ecclesia, quæ in eiusdem episcopi diœcesi consistit, in corporalem per officiales suos possessionem introduxit. Quia igitur lites siue controuersia, quæ concordia vel iudicio finiuntur, in recidiuæ contentionis scrupulum non debent iterum aliquatenus redigi, presentis scripti patrocinio eam vobis confirmamus, &c.

C A P. VI. *Idem Senonensi archiepiscopo.*

Ex transmissa nobis insinuatione G. & B. V. & vni. militum, intelleximus, quod cum R. de Canuill. eos super quadam possessione ante venerabilem fratrem nostrum * Veren. episcopum traxisset in causam, nobilis comes C. de Capra, eorum dominus, a quo possessiones tenebant, sub debito

* Trecent.

* Meten.

fidelitatis inhiuit, ne in iudicio ecclesiastico de sæculari feudo responderent. Itaque præfatus episcopus in eos velut contumaces, executionis sententiam promulgauit, &c. *Et infra:* Mandamus quatenus præfatos milites ab excommunicatione, contradictione & appellatione cessante, absoluas, &c. *Et infra:* Deinde causam per dominum fundi iubeas terminari: & si ipse malitiose quid distulerit, tu ei, sublato appellationis diffugio, debitum finem imponas.

ANNO
CHRISTE
1175PARS
XLVII.

DE IVRE PATRONATVS.

CAP. I.

Idem Cantuariensi episcopo.

DE iure patronatus capellæ de Stretton, hoc tuæ discretioni mandamus, vt si * R. Brito ipsum comparauit, cum inconueniens sit & inhonestum vendi ius patronatus, contractum illum, sublato appellationis remedio, irritum denunties & inanem, ipsumque, fretus auctoritate apostolica, non differas reuocare.

CAP. II. *Idem Bathoniensi episcopo.*

Dilectus filius noster nobilis vir comes S. transmissano bis insinuatione monstrauit, quod dum illustris rex Scotiae patrimonium suum detinisset occupatum, quibus voluit, & prout voluit, ecclesias, quarum gerebat patronatum, eo inconsulto concessit. Quoniam igitur ex iniuncti nobis officii debito tenemur vnicuique iura sua integra seruare, nolentes etiam quod præfatus comes occasione tali ius patronatus amittat: fraternitati tuæ, &c. quatenus rei veritate diligenter inquisita, si ita esse tibi constiterit, intrusos amoueas: & si idoneæ personæ ab eo qui ius patronatus & præsentandi personas habet, ad præscriptas ecclesias fuerint præsentatæ, & personas ipsas de consensu & consilio prælatorum, quorum interest, de præscriptis ecclesiis, contradictione & appellatione cessante, inuestiges, nec ipsas contra formam iuris exinde a quoquam grauari permittas.

Idem